

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1592

**Autre(s) référence(s) :** Fauroux 148 / Tabuteau 216, 217 / Round 711

**Auteur(s) :** Guillaume le Bâtard, Normandie (duc)

**Bénéficiaire(s) :** Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** diplôme

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1061

**Lieu d'émission :** Rouen

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Guillaume, comte de Normandie, concède au Mont-Saint-Michel le moulin de Vains.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Histoire du château et des sires de Saint-Sauveur-le-Vicomte*, Valognes, Martin, 1867, pièces just., n° 36, p. 4. (extrait)

b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n°148, p. 330-333.

### Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationery Office, 1899, n° 711, p. 253.

## Dissertation critique

Datation est donnée par D, la deuxième rédaction datée, voir FAUROUX, p. 330.

Texte établi d'après b

(B Première rédaction antérieure à 1066, non datée)

Ego Guillelmus, gratia Dei totius Normannie comes, rogatus multis modis ab abbate Rannulfo monasterii beati archangeli Michaelis, concessi eidem loco molendinum in villa que Veym vocatur, largiente eodem abbatे mihi spontanea voluntate 30 libras, et ut mea donatio haberet etc subter manu propria signum vivifice crucis imprimere curavi. Signum Guillemi consulis +. Signum Rotberti Bertram +, Richardus vicecomes etiam et Radulfus cubicularius et multi alii sunt conventionis hujus testes.

(D Deuxième rédaction datée de 1061)

In nomine sancte et individue Trinitatis et Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Anno ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo primo, indictione quarta decima, ego Guillelmus gratia Dei totius Normanniæ comes et dux, rogatus multimodis ab abbate Ranulfo monasterii beati archangeli Michaelis, quod est in monte qui Tumba antiquitus nuncupatur, concedo eidem loco molendinum ville que Veim vocatur perpetuo possidendum, quod

etiam pie memorie genitor meus Rotbertus eidem beato archangelo dederat. Sed Suppo ipsius loci abbas Ranulfo monetario monachis contradicentibus illud injuste vendiderat. Postea vero quam Ranulfus abbas ipsum locum regendum suscepit, molendinum reclamavit et justo examine in curia mea definitum est molendinum debere Sancto Michaeli suisque monachis manere in perpetuum. Concedo igitur ut ipsum molendinum, quod etiam molendinum comitis dicitur, perpetuo sit juris Sancti Michaelis ad victimum suorum monachorum, nec habeat potestatem quisquam meorum successorum seu ejusdem loci abbatum vel monachorum hoc a me meisque sancctum immutare qualibet occasione vel quantalibet precii numerositate. Ut autem hec mea donatio inconcussa permaneat, signum vivifice crucis manu propria subtus imprimere curavi.

Signum gloriosissimi ducis Guillemi +. Signum Mathildis comitis +. Signum Maurilii archiepiscopi Rothomagensis +. Signum Johannis presulis Abrincensis +. Signum Hugonis presulis Luxoviensis +. Signum Roberti Bertranni +. Signum Stigandi dapifer +. Signum Radulfi cubicularii +. Signum Richardi vice comitis +. Hæc carta facta est apud Rothomagum, anno Dominicæ Incarnationis millesimo sexagesimo primo, indictione .XIII.

(Rédaction postérieure à 1066)

IN NOMINE SANCTÆ [ET INDI]VIDUÆ TRINITATIS PATRIS ET Filii et Spiritus Sancti.

Antiquorum sollers pr[ovi]dentia approbabili more instituit super quasque possessiones æcclesiarum cartarum adhiberi testimonia quibus viriliter opprimatur quotiens emerserit calumpniatorum pervicax insolentia. Ea ergo intentione, commodum duximus noticie posterorum tradere qualiter devenerit in dominio monachorum Sancti MICHAELIS molendinum de quo Johannes filius Ricardi conatus est eidem sancto archangelo calumpniam struere, et qualiter eidem calumpniatio oppressa sit justo judicio optimatum patriæ breviter annectere, Igitur gloriosæ recordationis ROTBERTUS dux Normannorum, qui abbatiam Montis Sancti Michaelis amplis fundorum redditibus nobilissime dilatavit, præfatum molendinum quod in proprio jure tenebat aliaque quam plurima eidem loco solenni largitione condonavit, et ne quisquam sequentium auderet adimere quicquam ex iis juri Sancti MICHAELIS cum terribili anathemate cyrographum fieri imperavit digestumque manu sua roboravit. Qui, postquam in reditu Jerusolimitano apud Niceam hominem exiens æterne vitæ, ut credimus, sublimatus est solio, SUPPO ABBAS ipsius loci contra jus fasque idem molendinum dedit Ranulfo monetario monachis id contradicentibus unanimi consilio. Postmodum autem jam domni RANNULFI abbatis temporibus idem molendinum Gualeranus filius Ranulfi optinuit ceteris suæ parentelæ multipliciter deficientibus a quo præfatus dominus abbas Ranulfus non minimo pretio illud redemit, pluribus adhibitis testibus etiam gloriosissimo seniore nostro Guillelmo, tunc quidem Normannorum principe, deinceps quoque Anglorum REGE, id annuente scriptoque confirmante coram suis fidelibus ut liquet ipsius verbis insequentibus quæ ex alia huic membranulae annexa sunt propriis caracteribus.

Ego Guillelmus gratia Dei totius Normannie comes, rogatus multis modis ab abbatte Ranulfo monasterii beati archangeli MiCHAELIS, quod est in monte qui Tumba antiquitus nuncupatur, concessi eidem loco molendinum in villam que Veim vocatur perpetuo possidendum, largiente mihi eodem abbatte sua spontanea voluntate ob memoriale sempiternum triginta tres libras cenomannenses. Et ut hæc mea donatio inconcussa in posterum successionibus maneat perpetuum subter manu propria signum vivificæ crucis imprimere curavi.

Signum gloriosissimi Normannorum ducis Guillemi +. Testes autem affuerunt Johannes præsul Abrincensis +, Hugo præsul Lexoviensis +, Rotbertus Bertram +, Richardus vicecomes +, Radulfus cubicularius +, Radulfus filius ejus et alii quam plurimi.